

Nolfo con il figlio Nicola e
la moglie, abitanti di Brienza

XXXVIII 62

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Nolfo con il figlio Nicola e
la moglie, abitanti di Brienza

XXXVIII 62

1182-04

In nomine domini et salvatoris nostri Ihesu Christi. Anno ab incarnatione eius Millesimo Centesimo octuagesimo secundo. Regnante domno nostro Wilielmo Dei gratia glorioso Rege Sicilie ducatus Apulie et principatus Capue anno sextodecimo feliciter amen. Mense aprilis quintedecime indictione.

Ego Nolfus filius quidem cuiusdam Stephani Straza residens in villa Burgencie salernitanis finibus una cum filio meo Nicolao et voluntate huxoris mee et G... confratrum meorum pro redemptione anime mee omniumque parentum meorum ... coram iudice Alexandro et testibus inferius adsignatis obtulisse ac posuisse quandam terram ecclesie Sancti Iacobi Cavee que ecclesia videtur esse fundata et constructa in territorio Burgencie quam videlicet terram patefacio quondam iuste mihi expatrimonio meo pertinere que est in loco ubi vocatur Sanctus Blasius cuius fines ita declarantur. Pridem, ab oriente finis limes et termini et terra eiusdem ecclesie Sancti Iacobi et termini et terra magistri Fulco; a meridie finis vallonem; ab occidente finis terra quondam Martini de Melle et redit in faciem septentrionis; a septentrione finis terra ipsius ecclesie et via puplica; deinde redit in priorem finem. Hec igitur terra qualiter previdetur et fines et ea que seguuntur per ipsius circuitum decernunt a fine in finibus taliter hanc predictam terram supradicte ecclesie Sancti Iacobi pro salutem anime mee meorumque parentum optuli et posui adque adsignavi ad habendum et dominandum et possidendum et omnia exinde faciendum que eidem ecclesie placuit absque mihi contrarietate et meorum heredum cum etiam introitu et exitu suo et cum omni intro se habenti hac possidenti. De qua non

mihi nec heredibus meis aliquam reservavi portionem. Sed ut prelegitur ipsius ecclesie terram ipsam sine diminucione adsignavi. Et pro causa confirmationis huius oblationis seu adsignationis ego Nolfus perscriptus adsignator domno Roberto priori prenominate ecclesie guadium dedi proparte iamdicte ecclesie Sancti Iacobi ut hanc huius terre oblationem contra omnes homines obsistam ac undique defendam et omni tempore quod si non potuero aut noluerò ipsi ecclesie defendere sive pro quibuslibet modis vel ingeniis remove atque disrumpere quesiero te ego et mihi heredes componamus eidem ecclesie Sancti Iacobi decem aureos regales. Et de his omnibus supradictis adimplendis posui predicto priori fideiussores Guillelmum filium Hugonis de Susinno et Guillelmum balesterium.

Hoc denique oblationis privilegium omnibus futuris temporibus sit firmum quondam per manus Roberti Burgentini notari taliter scribi rogavi et hos idoneos testes corroborari. Mense et indictione prelati. # Signum manus Alexandri iudicis predicti Guilli iudicis. # Signum manus Hugonis Ferrandi filii. # Signum manus Guillelmi domne Guide.